

I. N. J.

DISSE¹⁵RAT⁹TIO
HISTORICO-POLITICA
De

VIA OCTAVII
CÆ. AUGUSTI

Ad IMPERIUM

Quam

*Indulgente Ampliss. Facult. Philos. Reg.
Acad. Aboensis*

PRÆSIDE

HENRICO HASSEL

Eloq. Prof. Reg. & Ord.

Placide bonorum disquisitioni sedit

ERICUS MUNSELIUS

Ostro Botniensis.

Ad diem 10. Martii Anno 1733.
horis & loco convetis.

A B O Æ,

Excud. Joh. Kiämpe Reg. Ac. Typ.

Sacrae Regiae
MAGNE FL.

Perillustri ac Generosissimo BARONI
& DOMINO

DN. BRODERO
RÅLAMB,

Per Provincias Ostrobothnicam & Ca-
janebu gentem GUBERNATORI
Excellentissimo,
MÆCENATI-

Dubiis quidem diversisque cogitationi-
gellas, tantis VIRIS consecrare su-
ciunt cultores Illustrium liminibus sine po-
tato, & Vestro præcipue in literas illis
trepidanti animus, & omnis demum ca-
Botnia nostra Vestro se Patrocinio commis-
stra VIRI Generosissimi, Gentis nostre An-
bum illime devolutus rogo, primitias ba-
gratiae & favori Vestro commendata esse
meto rem successisse venerabundus sibi gra-
Generosissimorum No-

Devotissimus
Ericus

Majestatis
DEI VIRIS,

P^{er}illustri Generosissimoque COMITE
ac DOMINO,

D^N. GUSTAVO
CREUTZ,

Legionis Pedestrīs Ostroboēnicæ
CHILIARCHÆ Præcellentissimo,

BUS SUMMIS.

bus diu anxius hæsi, num leves bascepao-
stinerem; more tamen, quo bonarum ar-
ticulos offensionis adrepere solent, penso-
operantes explorato affectu, additus fuit
nuit hætitatio. Leta jam & exultans
eis, ex qua ego quoque oriundus, ad Ve-
stistites & Dii tutelares celsissimi, genna-
fœ judenturis & cartacea mea munera
permittatis, quod si factum fuerit, ex-
tulatur.

minum Vestrorum
cliens
Munselius.

Nobilissimo atque Consultissimo VIRO
Dn. ABRAHAMO PALEEN,
udici Territoriali per Districtus Pijc-
aæensem & Hallicoensem æquissimo,
Patrono certissimo.

Admodum Reverendo atque Praclarissimo
VIRO

Mæg. LAURENT: SACKLINIO.
Pastori in Wirmo & Adjacentis Con-
tractus Præposito longe meritissimo,
Patruo optimo.

Innumera ista beneficia, quibus me, Fau-
mulus, dum equo animo revolvo,
quibus ea rependam modis nullus inveni-
tis indicium, levem banece opellam Vobis
suscipere nseque etiamnum ulteriori favo-

Nominum

Observan-
Ericus

Admodum Reverendo & Praeclariss. VIRO
Mag. HENRICO FORBUS,
Pastori & Præposito Limmungoensi-
um longe Dignissimo, Adcuratissimo,
Avi loco semper honorando.

Admodum Reverendo ac Praeclarissime
VIRO
Mag. ERICO FALANDRO,
Ecclesiarum, quæ Deo in Calaioki
colliguntur, Pastori meritissimo
Avunculo carissimo.

tores Propensissimi, nullo non tempore cu-
tot & tanta ea esse ingenue facio, ut
am, in qualemque tamen gratissime men-
offerem, spei plenus, fore ut eam benigna-
re prosequi hanc dignemini.

Vestrorum.

tissimus cultor
Munselius.

Til The
Wälreborne och Hödgachtade
Herrar
Regements-Skrifwaren vid Åbo Läns
Lif-Dragonne Regemente /
Fr. ISRAEL GRUNDSTROEM,
Och
Crono Besalningsemannen i Wirmo
Hårad
Herr ANDERS MONSEEN,
Mine gunstige Gynnare.
Sj prof hur jag uti ett tac samt sines
ne bär
Den godhet, som mot mig är stådse
tedder blefwen,
Jag defe blod, i brist af thet som mera är,
Nu lägger ner, i hopp at så få vara stres-
men
Hår efter i Er gunst, som håttils och,
då jag
Ut dinsta Er oft oödt, ett upphör näoon dag.
Herr Regements-Skrifwarens
och
Herr Besalningemans
John Janse tienare
Eric Muntelius.

Herren
Regements-Stridwaren Wile
åreborne och Högtästad
Herr HENRIC HOLIST,
Min Högtärade käre Fader.

HIn Far, nä eft at finna är
Hos mig en slikt förtinäga/ (där
Jag do h af wördnad full mån vara)
At jag alt godt som I mig gjordt/
Och jag tills nu från föddlen spordt/
Ditåt med orden kan förklara,

Så undra ej at jag nu gider/
Som man ned slikt tilfälle hör/
Thet erd och tal månd öfrerwinna/
At jag i thifhet silla står/
Och thet i diup förundran får
Med wörd=och hüp=nad esterfinna.

Til rrof doch af den tacfsamhet
Jag sko dig Er mig vara wet
Wili vehe blad för Er nedslitta;

At

At jag dem fått hopstresna já /
Thet Er/ min Far/ tilträknas må,
Er gunst mot mig besödrat detta.

Med tiden/ efter Guds behag/
Jag hoppas funna någon dag
Med megnare Ert sinne frögda.
Til hvilken och än längre tid
Gud gie Er hälsa / ro och frid/
At alla vi må lefva nögda.

Min Högtårade käre Fader

Ödmjuk, lydigste Son

Eric Munsieus,

§. I.

DE varia quæ in Republica Romana obtigit regimini forma, prolixam instituere disquisitionem, nostrum nunc non esse arbitramur; incertum Aristocratiam cum Democratia mixtam longo temporis spatio, in eadem viguisse, satis superque comprobant perpetua ista inter Patritios & plebem dissidia deque æquali imperii parte certamina. Dissensionum v. harum caussam, quantum quidem mihi constat, duplicem fuisse existimaverim. Ex una parte Patriciorum superbia & ambitio, per quos uti tota fere runc

gere

gereretur resp., ita quoque nulli nec
tempori nec modo parcerant, quo
minus omnia sibi submitterent, ta-
lesque suo ordini acquirerent præro-
gativas & privilegia, quæ non pos-
sent non plebejis quam maxime esse
fraudi. Hos a. insultus cum ægre
ferret ples, secessit in montem sac-
rum, & proprium ad sui tutelam cre-
avit magistratum consulum Patricio-
rumque potentiam cohibitum. Hic
v. non eo contentus, ut injuriam re-
pelleret nobilium, ad æqualem eti-
am potentiam & honores emergere
tentabat. Hinc factum est, latis in-
super a Tribunis plebis variis, utpote
agraria, frumentaria ceterisque legi-
bus, quæ Patres maxime concitarunt,
ut nil nisi tumulus, odia & seditio-
nes inter hos audirentur magistratus,
altero senatus, altero plebis favore
subnixis. Hæc etiam causa fuit cla-
dis istius civilis, ut alias præteream,
qua cum Tiberio Graccho multi quo-
que alii cæsi fuerunt. Sed nec his
cessatum est, quin seditiones majo-
res imo civilia bella in Rep. exori-
ren

penetrat, cum exules res novas molirentur optimatesque de administratione rerum inter se contendarent. Et hæc erat Reip: Romæ facies usque ad tempora Julii Cæsaris, qui dominationem affectans, inimicis omnibus superatis, toto potitus est imperio Romano. Huic Monarchæ facile admodum fuisset plenam Reip: quietem restituere, non nisi summa rerum ad unum delata isto tempore speranda, sed acre non minus quam importunum libertatis desiderium, accedente secreto in Principem odio, tanto civitatem bono privavit. Facta igitur a quibusdam conjuratione, scelestissimum in illum commiserunt facinus, cuius interitu Remp: iterum nefario prorsus ausu gravissimis periculis exposuerunt.

§: 2.

Dilm hæc Romæ aguntur, Apollo-niæ studiorum gratia morabatur Octavius, postmodum Cæsar & Augustus cognominatus. Erat hic Cæsaris jam mortui ex sorore nepos, quem

quem, ut magnam! de illo spem con-
cepserat, approbata satis tam bello,
quam in primis itinere in Hispanias,
ubi optime de Avunculo meruit,
morum indole, adoptaverat. Ac-
cepto itaque tam de morte Avuncu-
li quam de hereditate nuncio, dire-
cto cursu Romam tendit, ubi, diffusa-
dentibus quamquam Matre vitrico-
que hereditatem primo adit fortuna-
rum, successionem autem regni,
quam plenam inyidiæ insidiarumque
esse videret, se ne effectare quidem
initio simulavit. Consulatum eo tem-
pore gerebat Antonius, tam poten-
tia quam opibus clarus. Hunc olim
a J: Cæsare in intimis habitum, re-
bus quoque suis quam maxime addi-
ctum fore speravit; sed quoniam &
ipse tyrannidem cupiebat, summum
in illo nactus est adversarium. Hæc
ubi cognovit Augustus, consilium quod
primo sumserat de Bruto et Cassio
principibus Avunculi sui cædis adgre-
diendis, tantisper mutavit, cum ni-
hil se, utpote privatum, Antonio re-
bus suis adversante effecturum vide-
ret;

ret; qvare ad illum persequendum,
omnes cogitationes convertit. Quum
itaque plebem varias cb causas illi
infensam cerneret nihil sibi conduci-
bilius existimavit quam ut eam in suas
traheret partes, optavitque ejus gra-
tiam tanto magis sibi conparare,
quanto certius noverat Patrem quo-
que suum illius opera eo fastigii per-
venisse, quod ut en felicius proce-
deret, eam per quævis officiorum ge-
nera sibi devincire proposuit. Edi-
tis itaque ludis ceterisque quæ populo
grata fuerant, qvo magis illum permul-
cendi occasionem haberet, Tribunatu
qvoque plebis affectavit; nam is Ma-
gistratus multum in favorem populi
potuit. Antonius autem nimium de-
sua potestate deceffurum videns, si de-
stinata æmuli succederent, his ejus
conatibus vehementer se opposuit ef-
fecitque ut hoc honore excideret Au-
gustus. Hinc offensus, plebem Antonio
adhuc reddere infensiorem, quibus-
cunque tentavit blanditiis. Nec fal-
lebat propositum eventus. Tantum
enim hac sua adulatione valuit, ut

An-

Antonius rētu percūsus, cum Au-
gusto in gratiam redire fuerit coa-
ctus.

§ 3.

Un autem facta hæc erat amicitia, ita quoq; stabilis nequaquam diu esse potuit. Utterque enim aliud, qvam quod præ se ferebat, in animo habuit reconditum. Nam qui, ut verbis utar Dionis a Græca in Latinam versis, post vehementes inimicitias in gratiam redeunt, multa leviuscula ac temere accidentia in suspicionem rapiunt, atque in universum omnia tanquam consulto, & malam in partem facta, ad conceptum ante odium apponunt (a). Contractis itaq; exercitibus, Cæsar dulcibus blandimentis, amplis pollicitationibus & largitionibus iteratis populum militemque sibi conciliatus, huc & illuc proficiscitur, multisque præterea ab Antonianis ad deditioñem affectis, Mutinam condit, ubi Decimum Brutum, provinciæ hujus a J: Cæsare ipsi datæ, per senatum vero confirmatae præto-rem, obsidebat Antonius, inter quos sum-

summa tunc existebat inimicitia; quod quamvis sciret Augustus, Antonium tamen statim adgredi non ausus est; quum si forte Brutus, periculum etiam sibi metuens, in gratiam cum illo rediisset, se adversus utrumque partem non esse videret. Ideoque licet cædibus Patris sui hic interfuerit, tamen societatem cum illo jungendam censebat, in aliud tempus ultionem de illo sumendam transferrens. His, quæ agebantur, auditis, optimates valde gavisi sunt. Nam uterque eis fuit quam maxime invisus, cum tamen adhuc aliquid hostile contra Antonium ob illius potentiam non possent, contra Cæsarem ob ipsius impotentiam nollent aperte moliri. Sic vero fore credebant, ut alter per alterum quam facillime periret. Augustum utpote minus validum in suas trahendum esse partes existimarunt; sublato primum Antonio facile se illum postmodum oppressuros fore putantes. Atque ne ullus omnino dolus videatur subesse, sed omnia sincere agi putas.

putarentur, varios ipsi post res feliciter gestas addixerunt honores, inter quos erat ut duabus legionibus, qui ad eum ab Antonio transferant, donativum quantum ipse Cæsar post victoriam se datum pollicitus est, ex arario reddere; atque jus haberet petendi consulatum decennio ante statem legitimam. Et hæc, quo meliorem Antonium opprimendi facultatem nancisceretur, promissa, ut constantius eorum adhaereret partibus, effecerunt; præcipue, quia jam ab ipsis senatoribus palam trasderetur ipsi occasio postulandi ea, quæ diu animo agitaverat. Ideoque creatus exercitus Prætori coss: Hirtilio & Pausa collegis, opem contra Antonium tulit D: Brutus, illumque quamquam priore prælio minus felici, posteriori tamen, tam ducis quam militis munere functus, strenue fugavit.

(a) Lib: 45. p: 273. E.

(b) App: de bellis civil: Lib: 3.

§. 4.

Confecto hoc prælio majora coepit

pit spirare Cæsar, adeo ut cum
alios honoris, tum quoque consulatu-
rum paulo ante promissum sperare
& affectare inciperet. Senatus autem,
qui huc usque a partibus Cæsaris ste-
trat, adeo post hæc eum contemne-
re cœpit, ut quovis modo dignitati
eius d' trahere sit conatus. Immo tan-
tum absuit, ut Augusto aliquid ho-
noris tribueret, ut potius D: Bruto
ejusque militibus, qui tamen pœlio
non interfuerant, victoriam adscri-
beret, inimicoseue ejus omnes, Sext:
Pompejus, M: Brutus, Cassiusque
contra illum armaret. Quid etiam
milites ejus quavis arte, ut defctione
ab eo facerent, pellicere conabatur.
His auditis, Cæsar quidem primo
metu permotus, mox, cum mili-
tes suos nihilo minus sibi faventes
perspiceret, Senatui vero eosdem
magis inde reddi infensos, seipsum
collegit. Hinc territi senatores, licet
eum ob pueritiam consulem creare
nollent, honoribus tamen consulari-
bus illum ornarunt, putantes eum
hoc modo facile sibi iri reconcilia-

rum. Sed his non contentus Augustus ad bellum eis inferendum, ideo maxime quod puer vocaretur, omni amputata mora, se accingit; in cuius rei gratiam, animis proprietorum militum variis donis & officiis arctius sibi devinctis, quos proximo in proelio vicerat a Senatu damnatos, nullis non pollicitationibus & largitionibus quoque collegit, de societate etiam cum Antonio clam per internuncios agens. Erat cum Lepidus, quondam consul, etiam ad auxilium in proelio contra Antonium missus. Hunc dum Senatus cum Antonio societatem iniisse audiebat, veritus ne etiam Augustus ei se jungeret, eum iterum demerendum esse censens, bellū denuo ei contra utrumque gerendum committēbat, qua in re pudendam sane suam Senatus prodidit inconstantiam. Id bellum Aug: spe obtinendi consulatus suscepit, sed cum ne sic quidem eos movere posset, ad illud gerendum se quidem parare simulabat, sed quoniam clam cum Antonio & Lepido de societate jam

jam egerat, tantum apud milites suos effecit, ut juramento se obstrinxerint, contra neminem, qui Cæsaris partes tueretur, in pugnam ituros. Quare etiam quadringentos illorum misit in urbem, qui aperte & quidem vi sibi tam promissam pecuniam quam consulatum poscerent. Sed cum ne sic quidem aliquid efficere valeret, coactus est a milibus ipse Romanum cum eis intrare; cuius adventum cum audirent Senatores, urbem, ne ingrederetur, omnibus muniunt praesidiis, adque illi resistendum se esse paratos cuncti jactant. Cum autem Cæsar nihilominus appropinquaret, subita inter illos, ut pote qui, periculo adhuc eminus existente audaces, instante v. timidi esse solerent, facta est mutatio, nobilibus ad salutandum consueribus, accurrente etiam multitudine, & nihil quod ad humanitatem extandam pertinet omittente. Atque sic tandem metu adacti, consulatum ei denegare amplius non sustinuerunt, immo tantam illi quoque coacti sunt ad-

adscribere potentiam, ut etiam ultra leges cuncta pro arbitrio suo agere posset.

§. 5.

Cum itaque hoc modo Augustus, initio Magistrato maximo, viam sibi ad ulteriora, quæ animo conceperat, satis cerneret stratam, nihil iam cunctandum duxit, quo minus ad ultionem de interfectoribus Patris sui sumendam se conferret. Ut a. Antonium adhuc habebat suspectum; verebatur enim ne, amicitia nondum confirmata, cum Bruto & Cassio, quos jam ipse esset aggressurus, se jungenret; unde foret ut, aucta eorum potentia, tam facile ad eos opprimendos non valeret: ita nihil prius moliri statuit, quam cum eo societatem inivisset pleniorem, illamque confirmasset. Sed cum omnibus illum videret invisum, adeo ut tuto sibi, nisi contracta tam Senatorum quam populi invidia, hæc agere non licuisset, aliam excogitavit viam, quam, ut propositum consequeretur, esset

esset ingressurus. Et sane notandæ sunt artes Cæfaris hac in re, qui quasi omnia sincere agendo, ea perfecit, quæ, ad infringendani eorum potentiam libertatemque evertendam quam maxime faciebant. Aditis m. honoribus, quævis jani Senatum servitute quadam habuerit oppressum; ut tñ. in posterum quoque omnia sibi redderet futiora, milites primo, quasi fulcrum imperii & dominatio- nis, divinissimos sibi facere con stituit, quos etiam magna ista pecunia summa, quam unicuique specie quidem suis ex bonis, re vera publicis ex facultatibus divisit, adeo sibi effecit obstrictos, ut nihil non in ejus gratiam cuperent & exsequerentur. Quin etiam plebem, utpote ad tumultuandum proclivem, his ipsis sibi conciliavit pecuniis. Quibus ceterisque peractis sententiam, ut legitime omnia fierent, tulit de conjuratis eosque publice damnavit. Antequam a: istos adgrederetur, ad assentiendum societati, quam cum Antonio ob causas allatas incundam sta- tuerat,

tuerat, Senatores callide omnino ad-
egit. Nam ad bellum ei contra An-
tonium injunctum, se iterum fore
simulavit; Q. a. Pedium, quem sibi,
non a pristino more decedere velle
videretur, assunxit collegam, jussit
in senatu, absente se, tamquam ex
propria sententia, proponere que-
stionem de revocando iterum Anto-
nio, paceque cum eo, priusquam
factionum odia fierent immadicabilia,
renovanda. Quumque huie sententiæ
assentiri aut contradicere non susti-
nerent, priusquam eam cum Au-
gusto communicassent, factum inde
est, ut Antonio simul cum Lepido,
quem in societatem sibi ob sanguinis
connexionem adsciverat, impunitas
reditusque in urbem concederetur.
Missis itaque sibi invicem literis, An-
tonius cum Lepido accessit, dum fi-
cta inter se composita concordia post
varia colloquia, tam de dominatio-
ne sibi firmanda, quam de amicis
delendis, amicitiam triumviralem in
quinquennium constituunt, provincias
inter se pro arbitrio partiti.

AD hunc modum triumviral cum
Ant. & Lepido inita societate,
ad res gerendas, ut inter ipsos con-
venerat, unusquisque se confert. Le-
pidum consulis loco ad res urbanas
ordinandas relinquunt. Ipse a: Au-
gustus & Ant. in bellum proficiuntur.
Brutus & Cassius, qvibus jara
bellum præcipue erat inferendum,
cum Cæsar consulatum invasit, ut o-
mnia suspecta habuerunt; ita ad præ-
turas, qvibus a Senatu erant præ-
fecti, quamprimum se recipere con-
sultius duxerunt. Quo cum perve-
nissent res suas qvavis ratione firma-
re cœperunt, seque contra Cæsarem
munire; quare etiam variis regioni-
bus occupatis exercitum sibi acqui-
siverunt haud contemnendum. Cæ-
sar Antoniusque, his auditis, ad Ma-
cdoniam, ubi tunc hostes fuere, con-
tendunt. Sub itinere a: in tantum
delapsus est morbum Augustus, ut
Dyrrachii manere cogeretur, Anto-
nio ad Philippos præmisso. Ceterum
cum Antopium per omnia haberet
suspe-

suspectum, putans sibi exitio esse, vel si vinctus, ad partes hostium transiret, vel si victor, totum sibi adscriberet negotium, valetudine licet adhuc infirma, ad illum perrexit; ubi quidem mirari convenit fortunam Augusti, cui saluti ea fuerunt, quæ aliis perniciem attrahere solent. Interto deinde pcelio, tam ancipiti Marte initio pugnatum est, ut si Brutus victoria uti voluissest, Augustum sine dubio potuissest interficere; ultimum tamen victor evasit, & Brutus Cassiusque, eodem quo J: Cæsarem petiverant pugione, oppetivero. Hinc ad Asiam Antonius, Augustus ad urbem reversi. Erat tunc consul Antonius cum Servilio, quamquam ille tantum cum uxore fratris sui Fulvia consularum administravit. Cum itaque Cæsar, res pro arbitrio suo, Lepido obignaviam contemto, expedire inciperet, magnæ inter ipsos de dividendis agris ^{hoc} lunt contentiones, unde causam eos exprobrandi nactus est Cæsar; cumque videret multum e re sua esse si Lucius e medio tolleretur,

nil

nil nisi hostilia adversus eum & Fulviam agitare cœpit. Utque eo magis eos irritaret, divertium cum Fulvia, uxoris Antonii filia, quam ex Clodio pepererat, fecit. Ne a: Antonium, qui populos Asianos in potestate habuit, in se incitaret, illum nihil omnino incusavit, hos tantum contra voluntatem Antonii agere dicens. Ad bellum itaque uterque se parat. Cæsar v., cum tam populum, quam milites, ob injuriam quandam in divisione agrorum ipsis factam iratos sibi fecisset; adeo ut nihil spei in illis collocandum esse videretur; pacis quidem rationem primo sumsis, quam cum non consequeretur, ad veteranos confudit, cum quibus Perusiam, quo se recepit Lucius, petit, ibique illum ad ultroneam coëgit dedicationem.

§. 7.

ITa paululum obstaculis, quæ sibi impedimento esse videret, remotis, ad ulteriora statim pertendit. Supererat adhuc Sext: Pompejus, qui quidem ex conjurorum turba non e-

rat, sed ad ulciscendam Patris sui
Pomp. Magni, sub J. Cæsare cœsi, ne-
cem, jam diu se accinxerat. Hunc
cum ob patris sui merita, magno a-
pud plebem esse intelligeret favo-
re, prætereaque tam potentia quam
rebus gestis eundem inclaruisse, ad
imperium sibi confirmandum haud
parum momenti, oppresso eo, ad-
ferri existimans, bellum totis viribus
contra illum moliri incepit. Pre-
mebatur tunc temporis Roma, ob
commeatus omnes interclusos, sum-
ma corum, quæ ad victum suppedi-
gant, inopia, cuius causam in discor-
diam principum referebant omnem,
ideoque afflagitante populo, quam-
quam omnino invitus, pacem cum
Pompejo, certis conditionibus, inire
coactus est. Mox autem rupto fœde-
re ad bellum iterum uterque se pa-
rat. Pompejus in Italiam, quam te-
nuit, se recepit, ubi, Cæsare illum
insequente, diu variis proeliis, mox
uno mox altero succumbente, cer-
tatum est. Et quidem tam dubia erat
semel belli facies, ut, nisi pīscis ex

MAPi sponte profiliens, ad pedes Augusti
se projecisset, quod aruspices maris eī impe-
rium, portendere dicebant, animum o-
mnino despondisset. Tandem in ulti-
mo congressū victoria in Cæsarīs in-
clinavit partes. Ad hoc proelium ac-
cessit etiam Lepidus, Augusto opem
latus, qui indigne ferens, quod
Augustus se non ut collega socioque
imperii, sed tantum ut legato uti vel-
let, in Pompeji partes propende-
bat. Quare Augustus eum suspe-
ctum habere cœpit, nec tñ: animum
aperire ausus est, ne palam illum
hostem sibi redderet; ideoque proes-
tum, quanta fieri potuit festinatio-
ne, comisit. Post hæc a: Lepidus, suis
fisis militibus; nam legiones ad vigin-
ti contraxerat, Augusto varias sibi ab eo
illatas reprobrare cœpit injurias, a-
deo ut ad arma illum contra se pro-
vocaret. Et tunc quidem Lepidus,
præterquam quod homo erat alio-
quin natura ignavus, milites quoque
suos a se deficere videns, adeo in des-
perationem delapsus est, ut supplex
& veniam petens ad pedes Augusti
se

se abjecerit. Quem Aug: deinde omni imperio privatum, vitaque concessa, non sine custodia servandum in Italiam misit.

S. 8.

Lepido exuto, summa rerum penes duos tantum existit, Augustum & Antonium. Erat hoc alterum iam quinqueñium, in quod imperium sibi prorogaverunt, intra quod tempus, variae etiam inter illos existere inimicitiae. Quoniam v: consultum non fuit, ut res in apertum, ob cetera quæ instabant, prorumperet bellum, alter alteri non nihil concedens, in gratiam semper mutuo redierunt. Jam v:, superatis deletisque omnibus, quos sibi aliquo putarunt ad imperium subsequendum esse impedimento; diutius quiescere non potuerunt, quia palam ea profiterentur, quæ animis uterque tam diu paraverant. Nec est quod miremur; ut enim, teste Cic:, peras amicitia difficillime reperiuntur in iis, qui in honoribus reque publica versantur; ita multo minus in his, qui praterquam quod imperium ambo affectantur.

gunt

runt, supradictum quoque erant am-
 bitiosi; quare ortis dissidiis, utroque
 se invicem accusante, bellum inde,
 ceteris omnibus longe maius exor-
 tum est. Antonius, qui peregre ver-
 fabatur, per legatos literas ad sena-
 tum mittens, absens se defendebat.
Augustus v:, qui Romæ erat, coram
 causam suam agebat; interea qua-
 cunque attingere potuerunt regiones,
 ad auxilium sibi ferendum pellere.
Augustus a:, cum videret se apud Se-
 natum admodum esse invidiosum, ni-
 hil agendum existimavit, priusquam
 illum in suas traxisset partes. Ideo-
 que de testamento Antonii a Titio
 & Plancio transfugis certior factus,
 attulit illud in concionem publiceque
 recitavit, unde adeo Antenio tunc
 infensi, ut omnem quam hucusque in
 Augustum habuerant invidiam, in il-
 lum converterent. Quare etiam ei ho-
 norem consulatus antea designatū ad-
 emerunt, illumque hostem judicarunt.
 Qvo facto, Cæsar cum exercitu suo ad
 Actium proficiuntur, ut classem, quam
 Antonius ibi habuit, vel ditione

vel

vel vi caperet; sed quum mox illuc quoque Antonius perrexisset, commissum est ibi prælium, in quo Augustus evalit superior, Antoniumque cum Cleopatra sua ad Aegyptum fugere coëgit. Quo, sedatis primum in Italia tumultibus, Augustus etiam pervenit; ubi provincia hac in suam potestatem redacta, Antonium & Cleopatram ad mortem usque voluntariam adegit. Hinc iterum reversus Romanam, gloriosissime triumphavit, honores que simul omnes eoque perpetuos adiit.

§. 9.

ET hæc quidem præcipua fuere obstacula, quæ, quo minus imperium assequeretur, impediebant; quibus omnibus remotis, solus omnino rerum potitus est. Sed quoniam scivit Augustus hanc dominationem, qua penes unum residuebat potestas, adeo omnibus suisque invisam, ut eam ne nominari quidem vellent, quin & mortem pro ea arovenda oppetrere multi non dubitarent; ne vi aliqua se

se cives oppressos cernerent, artem
excogitavit, qua hoc ipsum imperi-
um, ipsis volentibus sibi ret stabili-
tum. Cum itaque recitasset pro con-
cione scriptum, quo toto se imperi-
o abdicaturum affirmavit, tantum ef-
fecit, ut ab omnibus ei confirmare-
tur. Nam licet multi fuerint, quos
hac sua arte fallebat, existere tñ:
plurimi, qui, quo consilio hæc age-
rentur, satis compertum habuerunt,
nimirum ut animos hominum ex-
ploraret, & quod palmarium est,
ceu sponte oblatum retineret, quod
alioquin vi tantum & armis occupa-
tum visum fuisset, adeoque civium
fidem & obsequium, publica illorum
voce sibi in perpetuum oppignoraret.
Et licet alii mutationem reip: cupe-
rent, alii eandem nollent; una ni-
hilominus omniuni proveniebat sen-
tentia, qua multis eum rogabant &
obsecabant, ut solus summam impe-
rii administraret. Hanc quidem cu-
ram in se recepit, sed quo magis ab
ejusmodi dominatione abhorrere vide-
getur, provincias omnes inter Sena-
tum

cum partitus est, retentis sibi poterioribus, scilicet ut qui plus laboris & periculi secum haberent, quo ipso Senatum omni potentia privavit, sibi soli arma militesque reservando. Quo autem majorem populum demulcendi facultatem haberet, sententiisque in Senatu semper dicere posset, tribunatum plebis, proconsulatumque perpetuum assunxit. Quibus omnibus, quamquam non nomine, re tamen ipsa summam rerum tenebat. Et quemadmodum mirificis a Deo regnandi facultibus erat donatus, ita quoque rem Romanam sic ordinavit, ut jure meritoque optimi tandem status auctor habetur.

§. 10:

Sic via, quam ingressus est Octav: Augustus, in captando summo imperio, percursa, brevibus adhuc dispiciemus, juste ne an injuste haec omnia ab ipso fuerant peracta. Cum itaque de adoptione ejus in regni hereditatem, a J: Cæsare facta, an per

per eam jus habuerit hoc ipsum re-
gnum sibi petendi, dicere volumus,
ut rite omnia fiant, de testamentorū
constituzione, ex jure ne naturali an
civili ea sit derivanda, breviter dis-
quirere e re plene non esse arbitra-
mūr. Negant vel saltem dubitare
testamenta esse juris naturalis cum
Puffend: Hochstetterus & alii; ubi o-
mne illorum fundamentum, po-
nunt in sola veneratione, quam mor-
tuis plerumque habere solent poste-
ri, adeoque generosum tantum es-
se pronunciant, viros eximiæ huma-
nitatis a voluntate defunctorum non
recedere (a). Sed alii contrarium
docent, & istud quidem, ut nobis vi-
detur, majoribus fūsulti rationibus,
distinguendo inter accidentialia h, e,
certa quādam solennia, & formam i-
psam testamentorum; illa enim ex
jure civili in totum dependent. Jux-
ta v: constat ipsam facultatem testan-
di, sive bona sua, post finem vitæ, in a-
lios transferendi, esse ipsius juris natu-
ralis; quia testamēta sunt effectus pro-
fluētes ex vero & absoluto isto domi-

nio, quod unicuique justo possessori in proprias competit res. Quod si non esset, libertas domino jure naturæ concessa, de rebus juste acquisitis convenienter rationi & affectui sano in vita disponendi, vix ac ne vix quidem intelligi posset. Quemadmodum a: homo, dum vita fruitur, habet jus significandi, ad quos bona sua post obitum d'evenire velit, quo ipso etiam legatarii perfectum in ilia consequuntur jus, ubi completa fuerint, quæ ejusmodi negotii natura præsupponit; ita si vel dixeris non pertinere ad defunctum, num extrema ejus voluntas observetur nec ne interest tñ: viventium, ne juris sui jacturam patientur. Ea v:, quæ jus naturæ præcipua esse circa testamēta & eorum validitatem observanda, dictitat, sunt primo plenus & manifestus illius, cuius est testamentum condere, consensus; quo intelligimus non tantum maturas sanasque cogitationes, verum etiam approbatem confirmantemque voluntatem, quæ eo firmior sensenda est, quo pro-

propius antecessit tempora extrema
sive mortis: Secundo vero ultima ista
testatoris voluntas aut viva voce in-
dicetur, aut scriptura ac tabulis te-
stamentariis consignetur; quod u-
trumque, adhibitis idoneis testibus,
fieri debet, ut excludatur omne du-
bium de veritate facti. Tandem ul-
timo necessarium est, ut tale illud
sit testamentum, quod nullo modo
aut injuriam aliis inferat, aut repu-
gnent legibus divinis vel justis huma-
nis, adeoque damnum reipubl: non
adferat.

§. 11.

Item igitur, & fundamento testâmen-
torū & vera eorum formalitate, o-
stēlis, ac pure corundē ex ipsis naturæ
fontibus petito, facilisvidetur accessus
ad testamētū J: Cæs: factū de adoptādo
Oct: Aug: in successionē imperii, nisi
prius removendus sit scrupulus a non-
nullis injectus, Principes summosque
imperantes carere potestate conden-
di testamenta; ad quod confirman-
dum nonnulla adferri solent exam-
pla talium testamentorum, quæ ta-
men fuere invalida. Sed verbo di-
cam

cam, illud non exinde provenisse, verum ex eo, quod aut civiles rationes, aut defectus formalium iniquitatem illorum ostenderent. Quum a: hæc negotia dependeant etiam ex ipsa constitutione fundamentali regiminum, sequitur quod thesis nostra, qua imperatoribus potestatem per testamenta hæredes constituendi assertimus, intelligenda sit tantum de regnis Monarchicis, & aliis, in quibus cives hoc jus in imperantes transfluerunt. Principes enim, qui aut absolutæ majestatis potestatisque non sunt, aut ubi jus successionis a populo ad certarum legum fundamentalium observantiam adstrictum est, e-jusmodi testamenta per se & soli valide condere nequeunt; Recurrit enim hic ultimum istud requisitum, ad testamentorum validitatem necessarium, ne sc: aut legibus contrariantur, aut etiam injuriosa sint, h: e: talia, quæ violant jus aliorum. Hinc nemo, quod ipse plene & absolute non possidet, alii cuivis concedere potest.

(A) Puffend: Libr: 3: N: 5 G: IV:
Cap: 10.

S. 12.

C: J: Cæsar, qui Oct: Augustum regni constituebat Hæredem, (quamquam injusto modo sibi acquisivit Majestatem, tamen a posteriori, per publicam populi approbationem, justus eisdem factus possessor) ex numero illorum esse non injuste constituitur, de quibus Grotius, quidam, inquit, *Reges pleno jure proprietatis regnum possident, ut, quis iusto bello imperio quasiverunt, aut in quorum ditionem populus aliquis, majoris mali vitendi causa, ita se dedidit, ut nibil exciperetur.* (a) Neque hostes illius & illorum arma per omnia justa fuerunt, summa insuper consulum proconsuliumque superbia & immanitas; quare & ipse Cicero de iisdem hunc in modum scribit: *si viciissent ad quos accesseram, Pompejanos puta, intelligebam tamen & stratorum hominum & cupiorum & inseparabrum quam cruaelis esset furra victoria.* (b) & alibi in bello rapaces, in oratione ita crudelis, ut ipsam victoriam horreverem.

Quare

Quare eosdem Cæsaris adversarios dicit habuisse, ut homines insanos, pugnandi crudelitatem. Quin etiam eam fuit imperii Romani magnitudo, & illi intrinseci morbi in gravissimas seditiones identidem proru[m]pentes, ut sine Monarchico regiminis statu salvum esse non posset. Quamobrem ex bono publico egit C: J: Cæsar, ubi Monarchiam occupavit, pariterque communis felicitatis utilitatisque causa t[em]p[or]amentum condidit, certumque per adoptionem constituit hæredem; quare justum hoc fuisse dubitari vix potest, adeoque posteris observandam.

(a) libe: 12 Cap. 3. §. 22 de I. B. 15 P.

(b) ibid: 4. ep. 14

§. 13.

Cum itaque non difficulter perspicceret Oct. Augustus, Senatum Romanum sponte non concessurum fore impetravit, quod ex testamento sui deberetur; quippe cum liberam regiminis formam reducere laboraret; jus illud vi de armis perfugii necessarium videatur. Nec ipsum latere posuit, si hoc statim consilium apponil-

ruisset, tot obvientura fuisse obstacula, quot rem ovendis nunquam sufficeret. Quare destinata collide erant celandia; donec occasio illa proirovendi tempore nasceretur. Hinc non imperii, sed solam facultatum hereditatem se adirurum iunctio sic utilavit. Quod a licita sic simulatio, ubi quis iure suo aliter potiri nequit, dudum inter Moralistas extra controversiam possum est. Cædis paternæ, ut maxime in justæ auctores recte etiam puniri debuerunt. Hisce Senatores savebant, quod vel inde constat, quia multi ex isto ordine, necis Julii & consuli & machinatores fuerunt, ac eos, quod præcipuum est, post facinus perpetratum, potentissimis provinciis præfecerunt. Contra hos si statim arma movisset Octavianus, insuperabilem hostium viam in se excitaturus fuisset. His probe expensis, illa ingredienda fuit ratio, quam præsens rerum status exigebat, & sine qua omnes ejus conatus in irritu cecidissent. Nec diffitemur eū in societate præcipue triuīrali multa crudeliter fecisse, quamvis plurima

illorum rectius Antonio imputaveris, homini natura crudeli & inhumano. Viderat tamen Octavius clementiam Julii, qua hostibus veniam dedit, eos demulcere non potuisse, quin extrema ipsi intentarent. Terrore itaque compescendi erant, quos invidia, ac nimio libertatis studio accensos, favor & gratia Principis in officio continere non valuisset. Quis vero crederet in isto rerum turbine sic omnia ad unguem resecari potuisse, ut non inoxii saepe fontium calamitatibus implicarentur? nec scelera quorumlibet ipsi imperatori tribuere convenit. Quam miti & placabili ingenio fuerit, hostibus victis, in tuto colloca-tus, satis superque declaravit. Pro Octavio purgando, hoc, ut antea innimus, ceu palmarium proferri potest, quod interni motus, quibus vastum imperii corpus ista etate concutiebatur, alio modo sedari nequivent. Desperatos morbos asperis remediis curari debere, notorium est. Eundem vero non suum tantum honorem, potentiam fastigiumque spectavisse, sed integras quoque civitatis in-

incolumentem, inde certissime col-
ligitur, quod imperium Romanum,
hoc Gubernatore, in tanto flore ex-
stiterit, quantum vix alio tempore
consequebatur. Publica itaque sa-
lus hujus Principis cura & pru-
dentia majorem in modum pro-
mota, humanas infirmitates ac vi-
tia apud æquos rerum æstimatores
facile excusat.

SOLI DEO GLORIA.



Viro Juveni Præstantissimo atque
Doctissimo Domino
ERICO MUNSELIO,
Amico integerrimo.

Οὐαὶ σπίτινη λλογε Φιλία τοῦτο εἰλεκτρίκε,
η ἀπ' ἐμαυτῶν αὐτολόου, καὶ εὐθὺς ὡς παί-
δων πρὸς αἴληλας λεπτομέτην, ἐργατήσις πόλη
τούς τὸ προστήκει, καίπερ ἡ λίχει διὰ Θεα-
χέων τὰς λόγικας παιῶν, καὶ χάρην αποτελε-
σθεῖν φανέσσω τὴν διάνοιαν μετ' αὐτοῖς
διὰ ὅπων θεωρέω σε κοινῇ ισχυρως διαλογι-
ζόμενον περὶ τὰ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΑΤΓΤΟΣΤΥ. Καὶ
φέσπερ πειρασθῆναι αὐγητοίας καὶ εἰφυίας
τὰ δεύτηναις, καὶ ἐπιδειξιν πεποίηκας τῆς
τοφίας· δύτως εὐχουμας ὡς μυχάτων
σπλάγχνων, ἵνα διαγίγηται ἐπὶ πάντη τῆς
ηρχής πορτίας, καὶ πρεσβυτερῆς τοῖςδε λό-
γοις, ὅπως ποτε τὴν δαΐσιην τῆς παιᾶς εἰς
γέρες λῶν καμάταιη λαμβάνηται.

Gustav Granroth,
Östro-Botz.

Viro Juveni

Peregrinio atque Politissimo

Dno. ERICO MUNSELIO,
Amico &j Populari suo hono-
ratissimo.

Sufficit ut miles Martis³ descrimina
duri,

Ut vicitur palme premia leta ferit;
Strenuus in studiis, mentis rubigine
demsta

Sic premis ad Pindi culmina Celsa via-
ans,

Munselius noster, proles pergrata Pa-
rentum.

Te maneat merces parta labore Tuo!
Te comitetur bonas, virtutis cultor an-
mende!

Gratulor ex animo premia digna Ti-
bi.

Vive diu fospes, ferundis vide Camenis
Quae citius capiti laurea ferta do-
bunt.

Prolixiori mente quam et aliam
gratulatur

Joh. Remahl E. F.

